

SERIES ALPHABETICA huius
VOLUMINIS.

A	
De Actionum cessione	952.
in successoris universales	972.
necessaria	986.
Alienatione	686.
A. R. P. q. l. G.	123.
Assurance	668. b.

C	
De Cambijs	674.
Codicillis	392.
Collatione	271.
Comodato	538.
Conductione	612.
Conditionibus	344.
Conubijs iure	69. 75.
Constitutionibus P. P.	45.
Contradijs innominatis	650.
Cessione actionum	952. 972.
	986.
Civitatibus mutuo	500.

D	
De Decretis	45.
Delegatione	910.
Deposito	550.
Denunciatioe litis	636.
Divisionibus iuris	1.
Domino	123.

E	
De Errore	778.
Evidentijs	626.
Excussiois Except.	924.

F	
De Fidei	704.

I	
De Institutione Heredu	309.
Inventario	412.
Integri restitutione	808.
iuris divisionibus	1.
iure conubijs	75.
restitutionis	428.
retentionis	884.
innominatis g. libis	650.

L	
De Legitimatione	83.
Legitima	237.
Locatione	612.
Legibus	17.
litis denunciatioe	636.

M	
De Matera tutela	98.
Metus. restitutione	632.
Monopolis	592.
Mutuo civitatis	500.
Novatione	896.
Optione	381.

CHRISTOP.
J.U.D. CO

 Uæstio non certè inanis, se
res juris? Pro negativâ militat

39

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



CHRISTOPHORUS PHILIPPUS **R I C H T E R** /
J. U. D. COMES PAL. CÆS. PROF. P. FACULT. JU-
RID. SENIOR ET p. t. DECANUS,

S. A. L.



Uaestio non certè inanis, sed scitu necessaria, & maximè literatis jucunda, grata, & singulari cum utilitate conjuncta est, An sc. Reipublica expediat, multos creari Doctores juris? Pro negativâ militat, quod veteres Jcti, quorum præclara scripta atque responsa in Digestis reperiuntur, & quorum virtute, fide, ac scientia Respubl. optimè fuit administrata, hoc honore & titulo caruerint. Deinde non diffitemur, Imp. Augustum ex usu Reipubl. arbitratum fuisse, ut qui fiduciam studiorum suorum haberent, ex sua auctoritate liberè responderent: qua ratione *Cæsar laudatissimus* prætatis Viris prudentibus majorem voluit conciliare auctoritatem. Nec leve dubium ex Constitutione *FridERICI III. Imp. Wormatis, Anno S. & R. N. 1441. facta*, desumi potest, in cujus art. 5. Doctores extirpandos esse legitur. Nemo etiam nostrum inficias ibit, operam sedulo dandam esse, ne dignitas Doctoralis prostituatur, sed suo in vigore atque respectu conservetur, & ne gradus Doctorem, sed Doctor potius suum exornet gradum. Hisce tamen dubitandi rationibus minimè movemur, sed pro affirmativa adducimus, quod Respublica duobus qs. fulcris contineatur, si sc. improbi pœnarum formidine coerceantur, virtuti verò certa proponantur præmia, eorumq; promissione & distributione alii ad id, quod bonum & honestum est, incitentur. Nulla enim domus, nec civitas, nec Respubl. stare possiet, si in ea nec rectè factis præmia extarent, nec supplicia peccatis, uti *Romani eloquii flos & fons lib. 3. de natura Deor.* graviter censet. Idemq; in *Orat. ad Brut.* refert de *Solone*, quod aliquando percontatus, quid maximè ad Reipubl. salutem prodesset? responderit, si non tantum mali pœnis coercerentur, verum etiam boni invitarentur præmiis. Imprimis verò Jcti, qui justitiam colunt, boni & æqui notitiam profitentur, æquum ab iniquo discernunt, bonosq; non solum metu pœnarum, sed præmiorum quoque exhortatione efficere student, tanquam *justitie Sacerdotes* in id omnes curas atque cogitationes suas intendere debent, ut quisque, quod sibi debetur, sine ulla mora aut difficultate consequi queat. Ipsa quoque ratio naturalis dicitur, & munus justitiæ requirit, ut aliter docti quàm indocti; boni quàm mali: strenui quàm ignavi tractentur. Et in hoc candor & prudentia Magistratus perspicitur, si pro meritis virtutum ac scientiarum, quas honos alit, homines in theatrum ac lucem Reipubl. producantur. Nec ullum est dubium, quin juri operam dantes eò sua consilia, omnesque actiones & operas dirigant, ut non solum publicam provehant utilitatem, aliisq; emolumento sint: sed etiam sibi, quod debetur, spectent, & ad id consequendum varias lucubrationes, curas, atq; vigilias promptissimo sustineant animo. Quis enim nostrum est, qui non in optatis unicè habeat, honores sibi conferri, suamq; laudem in paulò excelsiori loco esse positam? idque imprimis, si in studiorum genere eos fecit progressus, ut dignus illis honoribus meritò judicetur. Honores enim legitimè impetrati sunt cibus qs. dulcissimus, quo nutritur virtus. Honores pretiosa qs. sunt aromata, quæ literatos recreant & reficiunt. Et si ex usu Reipubl. videtur, ut belli tempore virtuti præmia per nobilitatem decernantur, atque præstantibus in re bellica fortissimisq; viris summi dignitatum gradus conferantur: cur non eadem ratione pacis tempore, quo legibus imperium rectius gubernatur, illi consulamus, & solliciti simus, ne Respublica defectum patiatur, sed ut in otio literario versantibus suis etiam honos, suumq; decus præstetur? Quis audeat *Impp. gloriosissimos* reprehendere, quod in conferenda nobilitate omni loco atque tempore fuerint benignissimi? Et cum hodie non ex solo Marte, ut olim, nobilitas oriatur, sed etiam aliis in Reipubl. meritis: quis *Facultatem Juridicam* incuset, quando Candidatis prævia virtutum, scientiæ, & facundiæ exploratione, sua confert præmia, auctoritateq; Imperatoria Academicos decernit honores? Justa & honesta petentibus facile assentiendum esse, jus æquitasq; jubet, & cognatio inter homines à natura constituta requirit. *l. ut vim. 3. ff. de J. & J. l. 2. ff. de his qui sui vel alien. jur. & l. Attilicinus. 35. ff. de S. R. P.* Omnis igitur cura & diligentia adhiberi debet, ut Doctores creentur & constituantur, qui studia literarum, liberaliumq; artium dogmata assidue doceant, quia in his maximè divina manifestantur atque declarantur mandata. *c. de quibusdam. 37. dist.* Nec ullam præfata dubia possunt injicere remoram. *Augusti Imp. enim Successores* sapientissimi auctoritatem Jctorum solenniore effecere, & ita Reipubl. magis consulere cupientes, certos honorum gradus & titulos præscriperunt, ut non solum Candidati maturè considerarent, quid & quantum ab illis requireretur, sed etiam alii eò magis allicerentur, & tam difficultate ob oculos posita, quàm præmio certaminis appenso, ad jus civile dextrè intelligendum impensius laborarent, clientes verò notam quandam haberent, quos tutò adire & consulere, & quibus negotia sua absque discrimine concredere possent, cum aliàs difficile sit dignoscere, quinam juris peritiâ sibi veram & genuinam compararint. Nec obstat *citata constitutio*, cum ea nunquam fuerit recepta, nec illis, quibus acetum in corde, probata. Huic etiam opponimus multorum *Impp. elogias*, quando Doctores & Antistites Juris amicos, Patres, Justitiæ Sacerdotes, maximum Reipubl. decus, illustres, celsos & honoratos, quibus janua Principis Imperialis semper pateat, viros excelsos, gloriosos, Magnificos, Splendidissimos, Nobilissimos, Egregios salutârunt & nominârunt. Nec metuendum est, quod ultimo loco objectum fuit, cum nemini liceat propria auctoritate & à seipso gradum Doctoris assumere. Et ad evitandum ab usum jam dudum *Sacratissimi Impp. & Integerrimi Juris Antecessores* salubriter constituerunt, ut certa eruditionis ac scientiæ specimina ederet, qui præfato titulo, gradu, & honore insigniri cuperet, nec suo ipsius arbitrio, repente ac temerè, sed judicio ordinis probatus, optimorum conspirante consensu, ad hocce munus prodiret. *l. Magistros. 7. C. de Professorib. & Medic.* Ita quoque in *Ampliss. Facultatis nostræ statutis c. 3. de promotionib. majorib. instituend.* certi sunt positi limites, certaq; præscripta capita, quibus parere & satisfacere tenentur ii, qui summum juris gradum appetunt, & honoris culmen affectant. In quorum numerum referimus *Præstantissimum atque Eximium Dn. ANTHONIUM GUNTHERUM Brömfi* / J. U. Candidatum dignissimum, quem natum accepimus Anno c. l. o. XXIX. die 28. Junii, Patre, *Viro Spectatissimo & Prudentissimo, Dn. Gerharo Brömfi* / Reipubl. Patriæ Senatore meritissimo: & Matre, *Anna Sophia Wechloeyn* / femina omnium virtutum decore perquam ornata. Horum parentum cura & sumptibus tam privatim quàm in schola patria per Præceptores ad veræ pietatis, & solidæ eruditionis fundamenta à primis statim incunabilis assuefactus, postea cum *Viro Clariss. atque Excellentiss. Dn. M. Henrico Bangerto*, hodie *Gymnasii Lubecensis Pro-Rectore*, Lubecam profectus, publicas lectiones ultra anni spatium sedulo audivit. Anno M. DC. XLVI. Mense Majo Academiam *Electonalem Wittebergensem* se contulit, & primùm *Philosophiæ* operam dedit, deinde ad *studium Juris* animum applicuit, & non solum lectiones & disputationes publicas frequentavit, verum etiam variis Collegiis Institutionum, *Pandeetarum*, & *Juris Canonici*, à *Viris Magnificis, Nobiliss. Ampliss. atque Consultiss. Dn. D. Jeremia Reusnero*, Ordinario, *Dn. D. Augustino Strauchio*, *Serenissimi Electoris Saxonie ad Comitias Ratisbonensia Legato eminentissimo*, *Dn. D. Gothofredo Suevo*, & *Dn. D. Henrico Coselio*, omnibus ac singulis in prælaudata Universitate Profess. Publ. celeberrimis &c. adornatis, interfuit. Anno 1650. mens. Junio ad patrios lares reversus: Anno verò proximè sequente mens. Febr. ad nos venit, & *Nobiliss. Ampliss. atque Consultiss. Dn. Joannem Thomæ, J. C. tunc temporis Professorem Publ. hodie verò Aule Saxo-Altenburg. Consiliarium gravissimum*, & ad prædicta Comitias Legatum Magnificum, *Aphorismos Juris Canonici Arnoldi Corvini explicantem*, magna audivit sedulitate. In Collegiis etiam *Pandeetarum lectionis & disputatoris*, quæ *Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, atque Consultissimis, Dn. Erasmus Wngepaur* / J. C. Ordinarius & *Decretalium Professor P. famigeratissimus, Dn. Georgius Adamus Struve* / J. C. & *Antecessor celeberrimus, Dn. Fridericus Ernestus Schrötter* / J. U. D. Profess. Publ. Consiliarii Saxonici, Curie Provinc. Collegii *Juridici, & Scabinatus Assessores Excellentissimi, & Dn. Johannes Volck. Bechman* / J. U. D. Eximius, ex parte Collegæ, Compatres, Gener, & amici mei honoratissimi, aperuerant, se insigni cum fructu & laude exercuit, atque mearum lectionum Auditor fuit assiduus. Cum itaque hisce diebus præmium suorum studiorum & laborum modestè peteret, nostraq; censura sese subjiceret, & in Tentamine promptum atque solertem exhiberet, ad ulteriora specimina consueta eum libentes meritòq; admisimus. Cras autem hora X. in Auditorio Jctorum L. *Sicumatorem. 3. C. de integr. resit. min.* in qua deciditur, an & quatenus minor contrahere possit? explicabit. Quam ad lectionem *Juris & Justitiæ Cultores* officiosè & amanter, totius Collegii nomine, invito, P. P. Jena 20. Martii, Anno c. l. o. LIII.

Typis JOHANNIS NISIL

CHRISTOPHORUS PHILIPPUS
J. U. D. COMES PAL. CAES. RHO. P. F. A. G. H. T. I. N. I.
RID. SENIOR ET DECANUS

In Antheil Expediat
creati D. J. J. A.



[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

39

39



HO
ME
RID

scitu nec *scitos creari Docto-*
quod *veter* e liberè responde-

39

[Faint, mostly illegible text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.]




00 A 6343


ULB Halle 3
002 928 566



1. Rubre ✓ VD 17







Farbkarte #13

B.I.G.



STOP
 U.D. COIM,

709.

stio non certè inanis, se
 iuris? Pro negativâ militat

39

na ,

mi

EVI,
 , Facul-
 s, Ho-

ibus

31

ERGÆ
 RÖHNERUS, Academ. Typogr.]
 DG. LII.

36

